

ANNOTATA.

(α) Potentia Objectiva nomen habet ab *objecto*, quia per potentiam objectivam aliquid potest esse objectum potentiae activae; sicut autem *objectum* potentiae activae non unò modò sumitur: ita etiam, potentia objectiva diversis modis accipi potest. *Primo* igitur *objectum* idem est ac *subjectum*, in quod potentia activa agit, sicut aqua est *objectum* potentiae activae ignis calefacientis. *Deinde* *objectum* idem, interdum valet atque id, ad quod actio potentiae activae terminatur, & dicitur *terminus*, nihilque aliud est, quam id, quod producitur à potentia activa. Sic Angelus quando à DEO creabatur, erat *objectum* potentiae DEI creatricis, quia per eam producebatur. Jam pro diversâ vocis *objecti* acceptione diversimodè accipi potest potentia objectiva, & quidem bifariam: (1.) Quatenus coincidit cum *potentia passiva*, h. m. potentia objectiva dicitur, quâ res actu existens apta est ita objici potentiae activae, ut sit *subjectum*, quod actionem ejus suscipiat, & sic in aqua est potentia objectiva, per quam aqua potest objici potentiae activae ignis, ut aqua sit *subjectum*, quod actionem, nempe calefactionem, suscipiat. (2.) Potentia objectiva accipi potest, prout distinguitur à *potentia passiva*, & sic potentia objectiva est id, quò res aliqua potest produci, seu potest *objectum* esse potentiae activae. Hòc loco posteriori modò potentia objectiva sumitur. Hæcque *potentia objectiva* datur non ut reale quippiam, sed saltem ita, ut per eam aliquid sit aptum seu non repugnet produci.

(β) Notandum, quod requisita ad actionem, sint duplicia. Quædam sunt *concomitantia*, quæ nempe ex parte actionis requiruntur, & etiam in ipsâ actione includuntur, quale requisitum est, v. gr. Generalis DEI concursus cum qualibet causâ secundâ; extensio manuum in distributione Eleemosynarum; sic quoque ad actionem intrinsecè requiritur, ut sit vitalis, ut sit accidens. Aliâ verò requisita requiruntur ex parte potentiae, tanquam actus primi, & Scholasticis Doctoribus *requisita Antecedenter talia* appellari consueverunt, vel unò verbò *prærequisita*, quia ante ipsam actionem requiruntur, ipsamque antecedere solent, qualia v. gr. sunt (1.) Sufficiens ad agendum virtus, (2.) *objectum* ritè adproximatum, (3.) iusta distantia inter agens & patiens, (4.) conditio sine quâ non, ut prævia cognitio intellectus. Ad quæ (5.) à *Mendozâ* etiam refertur hoc, ne *objectum* sit infinitum & clarè cognitum. Quando jam dicitur in definitione, quod potentia Libera, *positis omnibus ad agendum requisitis* possit agere & non agere, illud de *requisitis antecedenter talibus* intelligi debet, sive de *prærequisitis*, quæ scilicet se tenent ex parte potentiae ad actionem, quibus potentia sufficienter constituitur in actu primò; His enim positis potentia adhuc est libera & indifferentis ad actum simul & omissionem actus. Requisite verò *concomitanter* positæ, quia intrinsecè in ipsâ actione includuntur, ideo non amplius relinquunt actum liberum, nec cum illis potentia amplius libera est ad agendum, & non agendum, cum in ipsâ actione talismodi requisita includantur, quibus potentia libera jamdum ad agendum determinata & in actu secundò constituta est.

(γ) Potentia Libera dicitur ea, quâ *quis potest agere & non agere*: Ubi accuratè observandum, ad libertatem hanc actuum indifferentiam illimitatam, planè non sufficere, sed requiri præterea intrinsecam aliquam vim, quâ facultas libera semet determinare possit ad diversos actus eorundemque carentiam, quæ utique omnis activa est. Nisi enim talis poneretur, potentia illa semper maneret sub eodem statu & indifferentiâ, adeoque sub carentiâ omnis actus, donec ab aliâ determinaretur, quæ potentia effectiva determinationis tum verò libera esset, non autem altera ejusdem receptiva. Hinc etiam si materia prima indifferens sit ad contrarias formas recipiendas, itemque superficies parietis possit dealbari & non dealbari, vel etiam dealbari & denigrari, non possunt tamen dici habere potentiam liberam, quia sunt veræ potentiae passivæ, quæ seipsas non possunt per intrinsecam aliquam virtutem determinare ad positionem & negationem actus. Hinc etiam dicitur in definitione, quod potentia libera sit ea, quæ *positis omnibus ad agendum*, non verò ad patiendum requisitis, quibus nihil aliud significatur, quam, quod potentia libera debeat etiam habere *vim aliquam intrinsecam sese determinandi*, aliàs enim potentiae passivæ libertas talis quoque conveniret.

§. 1. Porro notandum, quod, quando dicitur *potentia libera posse agere & non agere*, id intellectum non debet ita, ac si cum potentia à necessitate liberâ componi possit *actio & non actio*, seu quasi agens liberum *possit simul agere & non agere*, sic simul esset & non esset, quod absurdum. Sed sensus est is, quod *potentia ad agendum sit simul potentia ad non agendum*, (*simultate supra potentiam, non supra actus cadente*) & quod potentia libera non magis actionem respiciat, quam ejus carentiam, adeoque cum illâ non solum possit componi actio, sed cum eadem etiam componi possit carentia actionis, ut ita agens liberum de se & intrinsecè ad neutram partem sit determinatum, sed etiam tunc possit non agere, quando potest agere.

§. 2. Postea notari debet discrimen inter has duas formulas: *Posse agere & non agere: posse agere hoc, ET agere illud*. Atque inter hanc: *Posse agere, VEL non agere, Agere hoc, AUT agere illud*. Prior loquendi formula exprimit naturam Potentiae formaliter & intrinsecè liberæ: *Posterior* verò cuius potentiae naturali competit. De quâvis enim salvâ veritate edisserere licet, quod *positis omnibus ad agendum requisitis*, possit agere, *AUT* non agere, agere hoc, *AUT* agere illud: Cum disjunctivæ veritas non nisi unam simplicium veram exposcat, reliquis (si ex pluribus quam duabus constet) existentibus falsis, quod etiam h. l. contingit. Verum, enim est, quod agens naturale, *positis omnibus ad agendum requisitis*, possit agere, quia necessariò agit, ut ut alterum membrum hujus propositionis disjunctivæ sit falsum. At verò ad potentiae liberæ naturam rectè explicandam non sufficit, ut alterutrum membrum saltem sit verum, sed insimul requiritur, ut utrumque verum sit, & verè de eâ prædicetur, sic & quod possit agere & quod etiam possit non agere, *positis omnibus requisitis*. Explicandum verò hòc loco

ro agere